

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Anthologia Sacra**

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis  
versibus comprehensa

**Billy, Jacques de**  
**Parisiis, M.D.LXXV.**

Magno piorum bono calamitates ipsis à Deo immitti. 103.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](#)

S A C R A

cordia superexaltata iudicio, mi-  
seria conticescat, ac sola cantet ti-  
bi de cætero gloria mea, & non  
compungar.

---

Magno piorum bono calam-  
tates ipsis à Deo im-  
mitti.

103.

**E**ST bonus ille obolus, qui nūnum seruat, vt aiunt:  
Queque caput seruans, vulnera palma capit.  
Est bonus hic medicus, qui noxia doctus ab imis  
Partibus ad summam pertrahit arte cutim.  
Ergo caue melior ne spes te deserat vñquam.  
Sæpe licet casus experiare graues  
Nam ne forte tumens agitet pia pectora fastus  
Vexari patitur corpora sæpe Deus.

S C H O L I A.

Lib. 33. *Est bonus ille obolus)* Gregorius  
Mor. ca. in Moralibus exponens hæc ver-  
ba Iob, Memento belli, & ne vl-  
trà addas loqui, ad hunc modum  
loquitur: Deus idcirco sæpe bene-  
merentes famulos vel minis im-  
petit, vel flagellis premit, vel o-  
neri-

neribus grauat, vel laboriosis occupationibus implicat, quia mira potētia prēuidet, quòd si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre aduersarij non valentes, mentis prostrati vulneribus iacerent. Dum ergo eos foris tolerandis flagellis, vel oneribus occupat, à suſcipiendis intus temptationum iaculis occultat. Moris quippe medicinalis est, vt feruorem viscerum sæpè in pruriginem cutis trahat, & plerūque inde interius curat, vnde exterius fauciāt. Ita nōnunquam diuinæ dispensationis medicamine agitur, vt exterioribus doloribus internum vulnus adimatur. Et paulò pōst : *Quis nescit quod multo melius sit ardere hama febrium, quam vitiorum.* Vnde etiam idem Author ideo maxillam Behemoth perforatain

y

S A C R A

dici ait , quia electos Dei , vnde  
conterit , inde amittit : vnde tentat  
vt perdat , inde agit ne pereant .  
Hæc optimi viri verba sunt , allu-  
dantis , vt opinor , ad id quod ait  
2. Cor. Paulus , Idcirco sibi stimulum  
12. carnis datum fuisse , ne ob re-  
uelationum magnitudinem ex-  
tolleretur .

---

Eum , qui alteri nocere cu-  
pit , sibi ipsi priùs  
nocere .

104.

**L**ædere qui tentas alios , quæ mittis in altum ,  
In caput hæc recident aspera saxa tuum .  
Vrere quo tentas alios , hoc vreris igne ,  
Quodque paras aliis , hoc peris ipse malo .  
Es velut is , qui mixtum aliis latale venenum ,  
Inscius ipse bibit , fraude peritque sua .  
Aut certè instar apis , quæ cæco raptæ furore ,  
Protinus ut stimulum fixerit , ipsa perit .

S C H O L I A .

lædere qui ) Gregorius Nazianze-  
nus in Carmine quodam , hac si-